



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Annales Episcoporum Slesvicensium

Cypraeus, Johann Adolph

Coloniæ Agrippinæ, 1634

Capvt IX. ... Adaldagvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

mittendi Episcopos in Ducatum Slesuicensem, Idq; longo tempore obseruatum fuit. Qua de causa Agapetus Papa Hamburgensi Ecclesiæ garatultur, de gentium ad fidem Christianam conuersione, & omnia quæ à Prædecessoribus suis Gregorio, Nicolao, Sergio, & cæteris Pontificibus, Archiepiscopatu Brementi concessa sunt, ipse Episcopo Adaldago largitur & concedit. Et inter alia, ei ius ordinandi Episcopos sua vice, tam in Dania, quàm in aliis Septentrionis regionibus, Apostolica autoritate tribuit. (*Ad. c. 2. 2. Annal. fol. 106.*) Quamuis tandem aliquot annos post, beneficio Pontificis Romani, Ducatus Slesuicensis vnà cum Dania à Iurisdictione Hamburgensi exemptus sit, vt infra suo loco demonstrabimus. Haraldus autem Christianitatem, quam semel amplexus erat, in Regno suo latissimè propagauit, & constanter retinuit. Vnde Regnum suum sanctitate & iustitia confirmans, vltra mare in Nordmannos & Anglos suam dilatauit potentiam. *Ad. c. 15. 2.* Angliam etiam annos centum, post mortem Gudredi in Ditione & potestate Danorum permansisse refert, *Adam. 15. cap. libr. 2.* atq; eo tempore Haraldum Heringum Filium, cum exercitu in Angliam misisse, qui Insula subacta, tandem à Nortumbris proditus sit, & occisus.

C A P V T I X.

Otto vocat Marcum Frimus, dum colla repressit

Sclauis, mox Danum vicit & ipse ferum.

Quem, docet vt Vagriam, Slesuicum iussit adire

Cesar, fundarat nam tria templa pius.

A. C. 946.

ADALDAGVS itaque primus, in Ducatu Slesuicensi & Dania, Episcopos ordinauit & consecrauit.

eravit. Idque Imperatoris Ottonis iussu & mandato.
 (De Adaldago Stadensis. Tribus Ottonibus, fortissimis atque
 iustissimis Imperatoribus carus & familiaris erat Adalda-
 gus, pro virtutum merito, & doctrinae magisterio, ut à latere
 eorum vix aut raro diuelleretur. fol. 109. Igitur Adaldagus
 omnium primus ordinavit in Dania Episcopos, Haraldum in
 Sliasvrig, Liafdagum ad Ripam, Reinhardum ad Arhusam.
 fol. 106. Annal.) Adaldagus autem ex nobili familiâ
 Meindorsiorum prognatus, ex Canonico Hildeshei-
 mensi exortus est Cubicularius, & postea Cancellarius
 Ottonis primi Imperatoris, totiusque Imperij,
 idque ex commendatione Cognati & Præceptoris
 sui Adelvardi Episcopi Ferdensis. Hic Marconem
 nobili genere oriundum, Episcopum Slesuicensem
 constituit, Idque anno Christi 946. vel secundum
 calculum Chronici Bremensis anno 952. (Marco præ-
 fuit annis 19. & fuit Episcopus Slesuicensis secundus. nam
 ante ipsum Ericus præfuit. Helmold. c. 12.) Genere illustris,
 etate iuuenis, decorus specie, morumque probitate spe-
 ciosior. Ad l. 2. c. 1. Marco propter summam eruditio-
 nem, pietatem, & in rebus agendis dexteritatem, apud
 Ottonem, principem locum obtinuerat, & Cancellarij
 munere functus erat. Sed & eius opera & consilio
 Otto Secundus, & Tertius, quoad vixerunt, vsi sunt.
 Quibus de causis Otto Imperator Aldenburgensi
 vrbi eum Pontificem dederat, eiusque ditioni om-
 nem Obotritorum regionem vsque ad Ponim flu-
 uium, & oppidum Deminum subiecerat. Nam Sla-
 uis deuictis & subiugatis, vrbs Aldenburgensis, quæ
 in Wagria sita est, & Stargardia lingua Slauonica, hoc
 est vrbs antiqua appellata fuit, Christo nomen dede-
 rat, vnâ cum numerosa eius Regionis plebe. Ea au-
 tem tempestate, vrbs Slesuicum Imperio Romano
 subiecta, superiorum temporum bellis direpta, ager-
 que omnis qui à lacu Slia ad Eidoram protenditur

vastatus & incultus erat, qui alioqui optimus & ferti-
 lis est, vt & vbertate & varietate fructuum & magni-
 tudine pastionis facile solo Holfatico antecellat. Ita
 & Wagria, quæ & ipsa bonitate agrorum & copia
 fructuum abundat, à plebe & cultura hominum de-
 ferta erat. Quibus rebus fiebat, vt Episcopus prouen-
 tus nullos, vel exiguos saltem haberet, vnde sese ale-
 ret ac sustentaret. Eam ob causam, & quòd Marco
 vir experientissimus & industrius esset, ei & Episco-
 patus Slesuicensis commissus fuit (*Ciuitatem opulētissi-
 mam Slesvvic eiusdem Marconis iuri delegauit Imperator.
 Helmold. Qui præfuit annis 19. vt Frater meus notauit ad
 Helmoldum.*) Huc accedebat commendatio sanctita-
 tis, pietatis, & diligentix, quam in erudiendis Wagriæ
 & Obotritorum populis adhibuerat, vt quos ipse
 primus religione Christianâ imbuerat, & baptizârat.
 Quod & ipsum Marco, quamdiu Slesuicensi Eccle-
 siæ præfuit, magnâ cum laude exequutus est, docen-
 do, prædicando, baptizando, remque diuinam facien-
 do vsque ad extremum vitæ spiritum, magnaque fide
 & constantiâ, quâ præditus, pericula quæ sibi immi-
 nebant, spreuit atque contempsit. Tandem post
 multos labores exantlatos, placidè in Domino ob-
 dormiuit Marco, & sepultus est. Eo autem mortuo
 peculiarem nacta est Ecclesia Slesuicensis Episco-
 pum, vt deinceps ostendemus. (*Post obitum Adaldagi
 tota regio Iutlandiæ in duos Episcopatus bipartita est, tertio
 apud Arhusen desiciente. Annal. fol. 113.*) Atque ab eo tem-
 pore vnâ cum Religione Christianâ, læta quoque &
 optata pax florere cœpit, cuius commoda ac benefi-
 cia experti sunt & Wagria & Dito Slesuicensis. Eo. n.
 tempore vrbs Slesuicum cum ditone adiacente, quæ
 à lacu Sliâ ad Egdoram fluuium protenditur, Roma-
 no subiecta erat Imperio, habens terram amplam &
 spatiosam, frugibusque fertilem & copiosam, sed maxi-
 mè

mè desertam, eò quòd inter Oceanum & Balthicum mare quotidianis excursionibus & insidiarum iacturis attereretur. Postquam autem misericordia Dei, & virtute Magni Ottonis pax omnia possedit, désertæ Wagriæ & Slesuicenses Prouinciæ habitari cœperunt. *Helmold.* Vsq̄ adeò vt nullus penè locus, quantumuis exiguus reliquus fuerit, qui vrbibus, vicis, & ædibus sacris non esset ornatus. Quæ omnia Dei benignitati, & Ottonis pietati & sapientiæ accepta referenda sunt. (*fol. II. Helmold.*) Atque harum vrbium & habitationum inditia in Syluâ, quæ ab vrbe Lucilenburgâ (*Crantzius Luttelenburg nominat in Vandalia*) Slesuicum vsque porrigitur, deprehendi posse scribit *Helmoldus.* (*Cap. 49. Helmoldus Lutilenburg appellat. Albertus Crantz. lib. 6. cap. 14. Lutkenburg legit; Kanutus interfectus est in vrbe Lutilenburg. cap. 31. Helmold. c. 57. Percussit omnem terram Planensem, Luttilenburghensem, Aldenburghensem, omnemq̄ regionem quæ inchoat à riuo Sualen, & clauditur mari Balthico & flumine Trabena. Idem Helmoldus cap. 84. Oportunum videbatur, vt edificaretur Ecclesia in Lucelenburg & Rathecoue. Creuit ergo opus Dei in terra VVagirensi. Et cap. 95. Dominus Episcopus venit in Lucelenburg, perlatusq̄ Bozoue multis illic diebus decubuit.*) Cuius vasta solitudo, & vix peruia, inter quercus maximas, sulcos, quibus iugera ipsa quondam diuisa fuerint, indicet & ostendat. Et ego quidem *Helmoldi* verba de Syluâ illâ accipienda existimo, quæ & nostrâ ætate latissimè patet, hoc est, miliaria, si rem ad amissim examinare volumus, septem vel octo, ab vrbe nimirum Kilonensi, vbi initium est Danici saltus, (vulgo *der Denische Waldt* /) qui deinde Hüttam, Bustorpiam, Gottorpiam, vbi Pola nominatur, protenditur tractu longissimo, & continuo, & quidem miliarium, vt diximus, octo vel nouem. Atque in his syluis vrbes quoque sitas fuisse, idem

Helmol-

Helmoldus autor est, idq; ex ruderibus, & vallorum reliquijs, & structurâ, nec non ex riuis, in quibus aggeres in usum molarum aquis colligendis congesti sunt, haud obscurè colligi potest, omnem autem saltum à Saxonibus habitatum fuisse, constat, Nam Germani & Saxones, quos Augustus, teste Suetonio *cap. II.* trans Albim fluuium summouit, in Holsatiâ, Wagriâ, & Ducatu Slesuicensi confederunt multos annos. Et tandem Britanniae Insulae opibus & commoditate allecti, relicto solo Patriae, Britanniam occuparunt. Ita factum est, vt Wagria & Ducatus Slesuicensis incolis vacuus, desertus iaceret. Atq; hoc ita se habere, testimonio & autoritate *Beda* comprobatur, qui *libro I. cap. 15.* ita scribit: *Angli de Patria illa, quae Angulus dicitur, & ab eo tempore vsque manere deserta inter Prouincias Vitarum & Saxonum perhibetur, &c.* Quamuis alij *Iutarum* legendum censcant. Ego verò *Vitarum* vocabulum retineo. Nam adhuc in Ducatu Slesuicensi reliquiae exstant *Vitarum*. Hinc *Sundvit*, quasi dicas *Vitae australes* Vide *Cambdenum fol. 58.* (*VVagerlandiam dictam existimo à voce Wageri Germanica & Saxonica, quod Latini periclitari dicunt. Vnde Wagherhelse / qui lucri causa in discrimen vitam & fortunas adducunt & periclitantur. Quales fuisse illos, qui in Angliam inuaserint, verisimile est.*)

 CAPVT X.

DANIA pacata, Ecclesijsq; constitutis, Otto Imperator in Germaniam rediit. Haraldus Regis mater, Thyra, vidua Gormonis, quam Saxo *caput maiestatis Danicae* appellat, cum videret, excursions & irruptiones quotidie à Ger-